

ta fuit a nostro B. Cherubino de Spoletio, cujus anima fuit ad caelum sociata sexaginta sex mille animabus suo medio ad aeternam gloriam transactis; Idem *cit.* cap. 19. Item hospitalis in civitate Verona erectum fuit opera nostri S. Joannis de Capistrano; Idem *cit.* cap. 19.

44 Item plurimis aliis relictis congregationibus & societatis, erectis à sanctis, Beatis, & piis Religiosis Ordinibus S. P. N. Francisci, solum recensentur confraternitates disciplinatum prius fundata à S. Antonio de Padua, & deinde à S. Bernardino de Senis, archiconfraternitas Confalonis à S. Bonaventura Romae erecta; & celeberrima archiconfraternitas sacrorum Stigmatum Seraphici P. N. S. Francisci Romae erecta, & jam per totum fere Orbem extensa; Idem *cit.* cap. 19. Et insuper Montes Pietatis inventi & erecti fuerunt primo à B. Barnaba ab Interamnia, deinde à Beato Marco à Bononia, à B. Cherubino à Spoletio, à S. Jacobo de Marchia, à B. Angiolo à Clavasio, à B. Bernardino de Feltria, & ab aliis Religiosis omnibus nostri Ordinis S. P. Francisci; P. Petrus Antonius de Venetiis in *Viridario Seraphico* r. 2. p. 7. cap. 7. Vide ibi, ubi multa ad rem.

45 Nedum supra recensitas congregationes, societates, & confraternitates, & hospitalia, sed etiam Ordines Militares, & Equestres, vel promoti, vel dependentes sunt ab Ordine S. P. N. Francisci. Et in primis Equester Ordo S. Sepulchri, qui licet fundatus longe ante ortum nostrae Seraphicae Religionis, ut patet ex dièlis supra art. 3. n. 97. Tamen certum est, Equites Ordinis S. Sepulchri creati à solo nostro P. Guardiano Sacri Montis Sion Jerusalem, tamquam Commissario, seu Vicario Apostolico, prout ei fuit concessum ab Alexandro VI. anno 1496. *Comitens facultatem* (dicit Andreas Favinus apud P. Petrum Antonium de Venetiis in *Viridario Seraphico* tom. 2. p. 1. cap. 20.) suo *Generali Guardiano S. Sepulchri, qui semper est de Ordine Minorum Sancti Francisci de Observantia, conferendi dictum Ordinem Peregrinis, & venientibus in Terram Sanctam.* Quae concessio fuit iterum confirmata à Summis Pontificibus Leone X. Clemente VII. & Urbano VIII. & in praxi gloriosissime perseverans, ut videre est apud P. Petrum Antonium de Venetiis in *Vir. Ser. l. 1. p. 1. cap. 20. p. 6. n. 8.* ubi per extensum dat formam, & modum eos creandi, & tradit formulam litterarum, quae ipsis Novellis creatis Equitibus Sancti Sepulchri à dicto nostro P. Guardiano Jerusalem in dies conceduntur, & est, ut sequitur.

46 Fr. N. N. Ord. Minor. Regul. Observantiae Provinciae N. &c. in partibus Orientis Commissarius Apostolicus, Terrae Sanctae Custos, & Sacri Montis Sion Guardianus, & servus.

47 Universis, & singulis praesentes nostras inspectionis, lecturis, & legi auditis salutem in Domino sempiternam.

48 Ex antiquissimis rerum gestarum monumentis didicimus, Invictissimos Heroes Carolum Magnum Imperatorem semper Augustum, Sanctumque Ludovicum Gallorum Regem, ac alios quam plurimos christianae reipublicae magnanimos reges, & Principes honoris Dei, orthodoxaeque fidei nedum Zelatores; verum etiam strenuissimos defensores, tantum ut nefariis devictis Saracenis, Jerusalem expugnata, gloriosissime resurgens Domini Nostri Jesu Christi mansoleum libera custodire valeret, sed, bonaque propria, immortalis voto iam praesumo, sponte obligasse, & emancipasse; quare inter alias Christianorum Principum contra praefatos infideles demandatas expeditiones sub praefato Duce Gottifredo Bullion trecentorum millium à Sum. Pont. signatorum Militum comparatione exereitum, anno denique nonagesimo nono supra millesimum ab Incarna. D. partim caesis, partim in fugam effectis hostibus, sanctam Jerusalem Urbem, summi cum laetitia, lingentique gaudio triumphantem ingressi, unanimi exercitus consensu, praefatum Ducem Gottifredum Jerusalem Regem proclamaverunt, ac Domini Nostri Jesu Christi monumentum ardentis animo in custodiam acceperunt, ibique sacrum ejusdem gloriosissimi sepulchri Equitum ordinem sub

certis quibusdam regulis & constitutionibus undeviginti, ac plurimos Illustrissimorum Virorum milites creaverunt, quos & quinque rubeis crucibus obsignarunt, utque armarunt, decernentes imposterum, ut eas vestibus appositas, tam in bello, quam in Regum, Principumque aulis ac fidelium quorumcumque cortibus (ut ex praefatum ordinationum vigesimo nono capite liquido constat) deferre tenerent. Cujus quidem nobilissimi Ordinis Christianissimi Reges, eximiique Magistri, ut erectores, ita & successores fuerunt. Sed prohi dolor! Capta iterum ab infidelibus Jerusalem, cunctisque ab Asia pulsus catholicis, sacet hic Equester SS. Sepulchri Ordo, qui tunc ex Lege Jerusalemis armari tenebatur, extinctus pene remansit, atque sopitus, donec tandem per devotissimum utriusque Siciliae Regem Robertum, magna cum difficultate, maximisque sumptibus, obtenta ab Aegypti Soldano anno Domini 1304. pro Seraphicae Religionis familia in praegrandi gloriosissimi sepulchri tempore commemorandi facultate; Leo postmodum X. Pontifex Maximus, qui praefato Ordini satis addictus erat, piisque ejusdem votis summo opere ad innovandum, nedum antiquissimi ejus militaris Instituti fere oblitam memoriam, verum etiam ad augendam Christianifidelium pietatem, eorumque animos, pro cunctorum locorum recuperatione, excitandos, praedicti Sac. Montis Sion Guardiani, ejusque successoribus pro tempore existentibus anno Domini Incarnationis 1718. pridie Nonas Febr. hujusmodi Milites SS. Sepulchri Equites, ut olim, creare, ordinare, ac instituire sponte concessit, atque mandavit: quod quidem tam feliciter exequutum, ut, ut dehinc milites quam plurimi creati fuerint, & in dies creentur. In quorum numerum à nobis dignissime relatum esse fidem facimus, & attestatur D. N. qui quidem praefati Ordinis laura decorari, & insigniri splendoribus summo opere cupiens, coram Nobis personaliter comparuit, humiliterque super hujusmodi re grande sui animi desiderium exposuit, et, ut pro viribus Nos exoravit. Nos igitur piis ejus precibus intenti, justisque supplicationibus inclinati, solerti investigatione circa ea, quae ad catholicam fidei puritatem spectant, prius facta, & diligentem inquisitione super his, quae ex antiquissimis legibus in vero Christiani militie requirerentur jam habita, eumque in omnibus idoneum, habilemque reperiunt, praefati sanctissimae Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi sepulchri apostolica auctoritate, qua in hac parte fungimur, militem, & Equitem juxta morem solemnitatis in proprio loco ejusdem sanctissimi sepulchri creatimus, ac quinque rubeis crucibus insignimus, ac condecoramus, sicuti per praesentes ita à Nobis armatum, insignitum, ac condecoratum nominamus, declaramus, & publicamus, cum singulari potestate deferendi, eas, tam publice, quam privatim, & pro insignibus, & vexillis utendi; nec non omnibus, & singulis privilegiis, indultis, immunitatibus, gratis, libertatibus, commoditatibus, & praerogativis, quibus ceteri ejusdem Equester Ordinis milites gaudent, vel imposterum gaudebunt, & poterunt. In quorum omnium, & singulorum fidem praesentes has litteras manu nostra subscriptas, ac sigillo gloriosissimae Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, ac roboratas expediti mandavimus.

49 Dat. Jerusalemis in conventu nostro sancti Salvatoris Anno Domini &c.

50 Privilegia Equitum Jerusalemorum.

51 In nomine Domini Nostri Jesu Christi Amen. Universis, & singulis praesentes litteras inspectionis, visionis, & auditus, Nos Fr. Bonifacius de Ragusio Ordinis Minorum Observantiae Professor, Sac. Conventus Montis Sion Guardianus, auctoritate locorum Terrae sanctae apostolicae nostrae auctorit. Vicarius Generalis, nec non Praedicator Apostolicus, in Domino salutem. Notum sit, quod Nobilit. & Magnifici Domini

52 Peregrini, qui hoc anno 1653. visitaverunt devotissime Dominicum sepulchrum, & in eo honorifice Equitem creati. Nos suppliciter deprecati sunt, ut ob Jesu Christi memoriam, & ejus Ordinis reverentiam eidem privilegia militum SS. Sepulchri exhiberemus: quorum praecipua commoti, & antiquis chartis, & libris à Summis Pontificibus, & Regibus christianis privilegia Equitibus concessa describi jussisse profiteamur, quae sunt hujusmodi.

53 Primo, quod tales milites procedere debeant reliquos cujuscumque Ordinis, seu militiae, exceptis solum, qui del Toron d' Ora vocantur.

54 Secundo item, quod ipsi milites possint legitime eos, qui ex legitimo matrimonio non sunt nati, & mutare notam baptismale, & arma seu stemmata concedere.

55 Tertio item, quod possint Notarios creare.

56 Quarto item bona ecclesiastica pro tuenda Christi fide, etsi uxorati sint, possint tenere sine praedictio ecclesiae.

57 Quinto item à vigiliis tempore belli sint exempti, & ab hospitio militum, & nemo ad hoc cogere eos possit.

58 Sexto item, ab omnibus gabelis, & tributis sint exempti ubique locorum, tam vini, quam cervisiae, & aliorum, &c.

59 Septimo item, quod possint vestiri sericis, holoseis, & hujusmodi vestibus, ut solent alii Equites, & Doctores.

60 Octavo item, quod corpus patibulo suspensum, nisi in via repererint, exemplo gladio praedictum possint, & ut sepulture mandetur imperare.

61 Ideo Jure optimo eos dici non immerito, & Equites esse, ac valere, & gaudere omnibus his privilegiis, sive immunitatibus, praerogativis, & praeminentiis, & aliis, quibus ceteri milites uti, ac frui consueverunt creator. In quorum omnium fidem, robur, ac testimonium, praesentes litteras fieri curavimus, sigillo sanctissimi sepulchri Domini nostri Jesu Christi, nostroque chirographo communiri.

62 Datum Jerusalem in Conventu S. Salvatoris Anno Domini 1553. = Loco Sigilli = Fr. Bonifacius qui supra manu propria.

Sic ex aliis refert dictus P. Petrus Antonius de Venetiis in *Viridario Seraphico* tom. 2. part. 7. cap. 8. Vide ipsum ibi, ubi multa tradit ad rem.

63 Equitum militiae Jesu Christi Ordo institutus fuit à Dionysio Rege Lusitaniae, & marito S. Elisabethae Reginae, opera P. nostri Stephani Portugallensis intimi Consultoris, & Confessarii praedicti Regis, & Archiepiscopi Ulyssiponensis, qui eidem Regi persuasit erectionem dicti militaris Ordinis, ut ipsi applicaret commendas, quae aliis erant extincti Ordinis Equitum Templariorum, prout fecit, & obtinuit à Joanne XXII. const. incip. Cum horum honorum: in qua & confirmatus fuit talis Ordo cum sua regula, & statutis. Dicitur P. Petrus Antonius à Venetiis in *Viridario Seraphico* r. 1. c. 20.

64 Equitum Ascensionis Jesu Christi Ordo institutus fuit etiam opera Franciscanorum in Portugallia, ut legitur in chronicis ejusdem regni praedicti. 4. n. 1. & notat Vadingus tom. 1. suorum annalium ad annum 1213. n. 14. & refert dict. P. Petrus Antonius loc. cit. cap. 20.

65 Conceptionis B. Mariae Virginis Equitum Ordo sub regula S. P. N. Francisci institutus fuit ann. 1623. à Ferdinando Mantuae Duce, & à Carolo Nivernensium Duce, & Adolpho Comite ab Althan, & à Joanne Baptista Petrigano Sfortia & confirmatus fuit ab Urbano VIII. constit. incip. Impercrutabilis: Tambur. l. cit. quest. 6. n. 12. ubi refert per extensum dictam Urbani VIII. constitutionem, una cum aliis duabus ejusdem Pontificis ad rem; dictus P. Petrus Antonius de Venetiis l. c. n. 120. ubi dicit, primos Equites hujus Ordinis vocari militiae Christianae Immaculate Conceptionis Mariae sub invocatione Sancti Michaelis, & S. Francisci, Novitiatum egisse in conventu Araceli Ferrar. Biblioth. Tom. VIII.

Romae Minorum de Observantia, & postea emisisse professionem in manibus dicti Summi Pontificis Urbani VIII. cum sequentibus verbis: "Semper tuebore Conceptionem Matris Dei immaculate & in hac re, & in omnibus, ejus promovebo gloriam juxta mentem S. R. Ecclesiae." Qui Summus Pontifex quoad vixit voluit hujus Ordinis esse Protector.

66 Plurima adhuc, & revera non pauca eximia, & 50 praefata gesta Ordinis fratrum Minorum possent adduci, sed ne auram captare videamur, ipsa apud alios Scriptores, & praesertim apud dictum P. Petrum Antonium de Venetiis in suo Viridario Seraphico in duobus tomis distincto videnda relinquimus. Et hic solum notare sufficit, quod Ordo noster Seraphicus (ut refert Gubernatis in *Orbe Seraphico* lib. 3. cap. 1. citans Vandingham ad annum 1213.) ex revelatione S. P. N. Francisci facta à Christo Domino in monte Alvernia per totum mundum sit dilatandus, & usque in finem saeculorum in sua perfectione, & puritate duraturus, & à Deo conservandus. Unde dixit Gregorius Papa IX. in bulla, quae extat in archivio S. Francisci Iyer. Passim Catholicam consolatur Ecclesiam auctus Minorum Ordo, multitudine, sacerdotio, sanctitate, & doctrina excellens." Et Nicolaus III. in c. Exit 3. de verborum significat. in 6. loquens de Seraphica Religione: "Hi sunt, inquit, illius Sanctae Regulae Professores, qui evangelico fundantur eloquio, vitae Christi roborantur exemplo, fundatoris militantis Ecclesiae & Apostolorum ejus sermonibus, actibusque firmanantur. Haec est apud Deum, & Patrem munda, & immaculata Religio, quae descendens à Patre luminum per ejus filium exemplariter, & verbaliter Apostolis tradita, & deinde per Spiritum Sanctum B. Franciscum, & cum sequentibus inspirata totius in se continet testimonium Trinitatis. Haec est, cui (attestante Paulo Apostolo) nemo de cetero debet esse molestus, quam Christus stigmatibus suae Passionis signis notabiliter insigniri." Et Clemens V. in *Clemantina* Exivi de Paradiso 1. de verbor. significat. loquens de Seraphico Ordine ait: "Verus nosser Salomon in solio militantis ecclesiae hortum voluptatis inter ceteros quemdam fecit à procellosis mundi fluctibus elongatum, in quo quietus, ac securus vacaretur contemplandis, servandisque hujusmodi operibus exemplaribus, in hunc mundum introivit ipse, ut rigaret ipsum faeculentis aquis spiritalibus gratiae, & doctrinae. Hic Hortus siquidem nest fratrum Minorum Sanctae Religio, quae muris regularis observantiae firmiter undique circumclusa intra se solo contenta Deo, adornatur abunde novellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens Dilectus Filius, mortificantis penitentiae myrrham meritum aromatibus, quae suavitate mira universis odorem attrahentis Sanctimoniae circumfundunt. Haec est illa ecclesiae vitae forma, & regula, quam descripsit ille Confessor Christi eximius Sanctus Franciscus.

67 Ad complementum eorum, quae Religione S. P. N. Francisci continentur, juvat adducere novissimam constitutionem Benedicti XIII. qua controversiae, & lites de Primatu, & anterioritate, perpetuo silentio imposito, extinguuntur. Quae pro universis Tertiaris in propriis domibus viventibus in constitutione *Paterina Seder*, sancta sunt, denuo confirmantur, & basilicae Sanctae Mariae de Portiuncula, & S. Francisci civitatis Assisiensis sub diversis rationibus Ordinis matricae decernuntur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Dilectis Filiis Ministro Generali totius Ordinis fratrum Minorum S. Francisci, necnon Generali Ministro Fratrum Conventualium ejusdem Ordinis.

Dilecti filii salutem &c. Qui pacem loquitur in plebem suam, & super Sanctos suos, certam illam servandam contentionis viam, rationemque discipulis

dicta à munere infirmos, & egenos visitandi, quo ob reverentiam miserii B. Virginis Mariæ visitantis S. Elisabetham, initio fungebantur aliquæ pia feminae, fundata fuit à S. Francisco Salesio Episcopo Genevensi, qui Monialibus hujus Ordinis Anesiaci in Sabaudia circa ann. 1610. regularis vitæ normam præscripsit, eisque præfecit B. Joannam Franciscam Fremiot de Chantal in Gallias natam Divione Urbe Ducatus Burgundiæ, diocesis Lingonensis, quæ nascentem hanc Congregationem instar matris, ac fundatricis laetavit, aluit, instituit, & propagavit. Et ea sanctitatis fama in vita, & post mortem adeo claruit Venerabilis hæc Dei serva, ut nunc acta de ejus vita, virtutibus, ac miraculis, in Sacr. Rituum Congregatione examinentur, & spes firma adsit, ut cælitum albo prope diem solemniter adscribatur. Et revera novissime, Deo dante, Beatorum fastis adscripta est die 23. Novemb. 1751. à Benedicto XIV. constitut. incip. Cum Sextodecimo:

17 **Monialium Ursularum, seu virginum, ac viduarum Congregatio in Gallis** sub nuncupatione S. Ursule ad erigendas literis, & bonis moribus puellas, fundata est Parisiis anno 1611. à Nobili Vidua Maria L' Huillier Domina S. Bobæ, quæ novæ à se instituta sollicitas à Paulo V. Summo Pontifice approbationem obtinuit die 23. Septemb. ejusdem anni 1611. Graveson loc. cit. pag. 586. Non debet tamen hæc Congregatio confundi cum Congregatione Ursularum fundata à B. Angela de Deszenano, de qua satis dictum supra art. 5. num. 24.

18 **Monialium Beate Mariæ Virginis Congreg.** ad puellas literis & pietate imbuendas fuit fundata à Venerabili servo Dei Petro Forretero Parocho Montencurii in Lotharingia, & Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis S. Salvatoris reformatore. Graveson loc. cit. pag. 585.

19 **Monialium Beate Mariæ de Calvario, & S. Scholasticæ Congreg.** instituta fuit ab Antonietta Aureliana Ludovici Ducis Longavillani filia, quæ hanc Congreg. inchoavit in monasterio Picaviensi in Gallis, ubi sexto post mense pie decessit die 25. April. 1618. Graveson, loc. cit. pag. 586.

20 **Piorum Missionariorum Congreg.** instituta fuit circa ann. 1621. à Carolo Caraffa Neapoli è nobilissima familia oriundo, & approbata fuit à Gregorio XV. constitut. incip. Ex quo Divina Majestas: Graveson loc. cit. pag. 587.

21 **Missionariorum Presbyterorum secularium Congreg. & puellarum charitatis societas** instituta est à S. Vincentio à Paulo circa annum 1626. & approbata ab Urbano VIII. 1632. Graveson loc. cit. pag. 587. Marcus Battaglini Nuceriæ Episcopus in *annalibus Sacerdotii, & Imperii anno 1660. num. 35* Ludovicus Abelly Rhutenensis Episcopus in *ejus vita Parisiis impressa, & alii.*

22 De multis Militaribus Ordinibus nulli particulari regule additis, sed sub propriis constitutionibus Equestre Institutum profitentibus; Vide Tamburin. loc. cit. disp. 24. *Quæsit. 9. per tot.* & eruditissimum P. Philippum Bonanni Societatis Jesu, qui egregie scripsit de omnibus Religiosis, & Ordinibus etiam militaribus sub propriis habitibus, & insigniis, Franciscum Menennium, & alios.

RELIGIONES REGULARES.

23 *** Quatuor Ordines Mendicantium quatuor fluminibus Paradisi sunt comparati ab Eugenio IV. constit. incip. Summa divina Bonitatis: àlata in Bullario Inclyti Ordinis Prædicatorum tom. 3. pag. 12. & seq.

24 In verb. Religiones Regulares art. 1. num. 65. ubi de Institutione Ordinis Prædicatorum agum est, in commendationem præstantissimi illius Ordinis addi possunt sequentia.

25 Prædicatorum nomen præclarissimo Ordini Domi-

nicanorum ab Innocentio III. concessum est. Sic in Bullario dicti Ordinis in Indice rerum tom. 8. pag. 771. ubi citatur ad id tom. 1. pag. 5. constit. 3. num. 2. in quo sic expressè: Prædicatoribus quo tempore nomen illud nobis fuerit inditum docet Stephanus Salanchus Auctor cœvus in Tractat. de glorioso nomine Prædicatorum cap. 1. Celebrato siquidem Concilio Lateranensi anno 1216. Summus Pontifex (Innocentius III.) ordinans quædam circa negotium fidei in partibus Tolosanæ agenda, & decernens super his scribere B. Dominico, & illi, qui cum eo erant, acito notario, dixit ei, sede, scribe super his fratri Dominico, & sociis suis in hæc verba... Et stans paululum, nolui scribere, inquit, sic; sed hoc modo: fratri Dominico, & cum eo prædicatoribus in partibus Tolosanæ... statimque aliquandiu considerans plus, sic inquit, scribe: Magistro Dominico, & fratribus prædicatoribus, &c. Et surrexit. Sic dixit Dominus, scripsit notarius. Nunc Dei præsentis tunc Roma aderat Pauper sanctus, qui auditio verbo Domini totius mundi Vicarii J. C. gavisus est gaudio magno valde; nam deinceps in Curia, & ubique, ipse & filii ejus caperunt se fratres prædicatorum vocare, caperuntque in Curia, & ubique ab omnibus sic vocari.

Qua de causa hoc præclaro nomine Prædicatorum 26 fuerint insigniti, tradit Benedictus XIII. in constit. incip. Pretiosus: §. 29. ibi: memores porro quantum ex prædicatione verbi Dei catholica religio incrementum reportaverit, & quantum proinde mereretur sibi compararent fratres hujus Ordinis, quos proinde Sedes Apostolica ab incunabulis ejusdem Ordinis præclaro nomine prædicatorum insignivit, &c.

Ast nedum ex prædicatione Verbi Dei, sed etiam 27 ex eorum scholastica doctrina catholica religio maxum incrementum reportavit, ut jure merito Sanctissimi eorum Angelici Doctoris doctrina, nedum à Summis Pontificibus, omnibusque aliis usque ad sidera commendetur, sed & ab ipsomet Christo fuit semel, bis, & ter commendata præcisè his verbis: Bene de me, Thoma, scriptisti; ut proin Sixtus V. effigiem S. Thomæ pingi jussit sinistra manu ecclesiam gestantis, dextera vero, qua scribit, magnam luminis splendorem in eam effundens; hæc adita epigraphæ: S. Thoma de Christo scripta, à Christo Crucifixo probantur. Unde ad id juvat afferre quæ traduntur in laudato Bullario tom. 5. pag. 157. num. 16. ibi (Probata fuit) factum referent antiqui scriptores laudatis in notis ad constitutionem 11. Joannis dicti XXII. Ejusdem meminere Summi Pontifices, quorum diplomata poetæ transcribentur. Ex ipsis Clemens VIII. alloquens Neapolitanos, hæc habet: pie, prudenterque cogitatis de novo civitati patrono adsciscendo, cive vestro, divinæ voluntatis Angelico interprete, vitæ sanctitate, & miraculis claro Thoma Aquinate, cujus doctrinæ fuit tantum tributum, ut christianæ eruditionis suæ divinum etiam illud habeat testimonium: Bene de me, Thoma, scriptisti. In alio autem diplomate sic loquitur idem Clemens: Doctrinæ (S. Thomæ) testis est ingens liberorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni fere disciplinatum genere, singulari ordine, ac mirâ perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit. In quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum & Paulum colloquens, locosque illi quosdam Dei jussu enarrantes habuit. Quos deinde conscriptos expressa Christi Domini voce comprobatos audivit. Id perenni monumento posteris persuasum esse voluit Sixtus V. prudentissimus Pontifex, cum in bibliotheca Vaticana S. Thomæ pingi jussit effigiem sinistra manu ecclesiam gestantis, dextera vero, qua scripsit, magnam luminis splendorem in eam effundens, addita epigraphæ: S. Thomæ de Christo scripta, à Christo Crucifixo probantur. Hæc de re legendus Angelus Rocca de Bibliotheca Vaticana: Notat Joannes Diestemius Blerus S. Jacobi Leodiensis Prior Ordinis S. Benedicti, art. 8. Commentarii de Institutione Corporis Christi anno MCDXCVI. conscripti, quod in foribus Ecclesiæ Bolsenæ... depictus... est B. Thomas sedens ac scribens tamquam doctor in cathedra circumstante Curia de-

depictus est insuper Crucifixus, alloquens S. Thomæ coram se super genia adorantem, & dicens: Bene scriptisti de me, Thoma, Ter à Christo Domino, commendatam fuisse doctrinam S. Thomæ, referunt Auctores.

28 Hinc Benedictus XIII. constit. incip. Demissas præcessit: retundit calumnias adversus doctrinam SS. Augustini, & Thomæ inentatas, uti & fecit Clemens XII. constit. incip. Apostolicæ providentiæ: retundens calumnias eorum, qui asserebant, censuris constitutionis Unigenitus doctrinam SS. Augustini, & Thomæ Aquinatis de divinæ gratiæ efficacia esse perstrictam; laudesque, quibus SS. Augustini, & Thomæ doctrina celebratur, confirmat, ne quis eandem calumnietur cavet, & scholarum catholicorum paci consultit. Videatur etiam constitutio Sixti V. incip. Triumphantis Jerusalem: in qua doctrinam SS. Thomæ Aquinatis, & Bonaventuræ egregiis laudibus ornata, asseritque expressè: hi enim sunt duæ olive, & duo candelabra in domo Dei lucentia, qui & charitatis pinguedine, & scientiæ luce ecclesiam collustrant. Hi singulari Dei providentiâ eodem tempore tamquam duæ stellæ exorientes ex duabus clarissimis Regularium familiis prodierunt, quæ sanctæ Ecclesiæ ad catholicam religionem propagandam maxime utiles, & ad omnes labores, & pericula pro orthodoxa fide subeunda paratæ semper existunt, ex quibus tamquam ex fertili, & bene culto solo quotidie per Dei gratiam fecunda, & fructuosæ plantæ procreantur, hoc est, viri doctrinæ & sanctitate præstantes, qui Petri navicula tot fluctibus agitata, & Romano Pontifici ejus clavum non sine magna sollicitudine tenenti, fortem & fidem operam navant.

29 Crucis obviam retro incedentibus ubique terrarum PP. Prædicatoribus familiaris est gestatio; ex laudato suo bullario, r. 8. in Indice rerum p. 637. & pag. 320. num. 13. ubi traditur, quod ad dubium inter alia quintum, an liceat dicis Patribus in eisdem processionibus gerere crucem obviam retro incedentibus? Sac. Congreg. Rit. die 10. Martii 1736. respondit: ad V. quoad gestationem crucis obviam retro incedentibus, licet, &c. Sic ubique terrarum fratribus Prædicatoribus solenne est ut in publicis supplicationibus, seu processionibus, ut loquuntur, Imaginem Crucifixi deferant ad ipsos fratres conversam. Vide etiam ejusdem Bullarii, tom. 7. pag. 392. & seq. ubi cum ipso quibusdum debuerunt alia septem promissa, & à dicta S. Congreg. resoluta, die qua supra. *

30 Plura addere potuissimè in hisce sex articulis, & in nonnullis Auctorem castigare. At ne nimii essemus in re, quæ forte nulli fere usui esse potest, satius existimavimus Auctores indicare, qui de origine, & variis Regularium speciebus accuratius, quam Auctor, disseverunt.

31 Vide igitur Helyor in historia Ordinum Monasticorum Religiosorum, ac Militarium. Possunt etiam consulti Philippus Bonanni de hierarchia ecclesiastica, Coronelli in catalog. Ordin. Religiosorumque indument. iconib. express.

32 Franciscus quoque Florent. Jurisconsultus celebrissimus, brevem, sed pereruditum composuit de statu Regular. tractatum, quo de origine, & variis institutis Eremitarum, Monachorum, Cenobitarum, Anachoretarum, ceterorumque Regularium tam in Oriente, quam in Occidente multa debet.

33 De originibus monasticis speciatim tractant Dadinus Altaserra, Aubertus Miraus, Rodolphus Hospinianus, Crecellius, alique; Chopini Monasticum multa eruditione referunt, sed ut plurimum luce indiget, nec exhauret ea, quæ ad monasticam disciplinam in universum pertinent.

34 Monialium Eremitarum S. Joannis Baptistæ Congregatio, instituta à Dei familia Joanna Maria Baptistæ Solimanæ Genuensi, & approbata à san. mem. Benedicto XIV. anno 1744. constit. incip. Flos ille Presbyterorum secularium S. Joannis Baptistæ Congregatio: instituta ab eadem Dei familia Joanna Maria Baptistæ

Solimanæ, atque à Dei famulo Dominico Francisco Olivieri Presbytero Genuensi ad missiones peragendas in locis hereticorum, & infidelium, sub protectione, & immediata subjectione Sacr. Congregationis de Propaganda Fide, ad quas singulari voto sese adstringunt, atque approbata à san. mem. Benedicto XIV. constitut. incip. Considerantibus sæpenumero: anno 1755.

Die 16. Julii anno 1767.

In Basilica Vaticana splendide, & magnifice ornata Summus Pontifex Clemens XIII. Sanctos esse decrevit, ac Sanctorum Catalogo adscriptis, præ ceteris Beatos Josephum Calasancium à Matre Dei, Hieronymum Emilianum, & Joannam Franciscam Fremiot de Chantal.

(Cum breve, sive literæ decretales super Canonizatione beati Josephi præ manibus habeantur, & in eis fiat etiam mentio de adscriptione in Sanctorum catalogo D. Hieronymi Emiliani, aliorum, & S. Joannæ Franciscæ Fremiot: opportunum judicatur dictarum literarum insertionem non omittere.

CLEMENS EPISCOPUS.

Servus servorum Dei.

Ad perpetuum rei memoriam.

Admirabilis sane Omnipotentis Dei providentiâ, tum in constituenda tum in sarta recteque servanda ecclesia, quam Christus acquisivit sanguine suo, jam inde ab ejus primordio ad hanc usque diem illustribus, & præclarissimis, ut ab omnibus facile conspici possent, sese prodidit argumentis. Per omnes enim ætates benignissimus Deus homines in ea sanctissimos excitavit, qui studio alienæ salutis incensi juvenandis quomodolibet fidelibus adlaborarent. Quum autem cujuslibet ætatis homines Sanctorum virorum studio, atque opera indigeant, ne ignorantia tenebris obæteati meliora non videant, vel etiam videant, à conspicienda sua abstracti, & illicti deteriora sequantur; tenera profecto, & puerilis ætas singularum quædam, & præcipuam curam requirit, ne sibi relicta atque inculta, voluptatum lenocinio, paulatim ad vitia defluat: sensus equippe, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Quapropter, tametsi Christus Dominus omnes promiscue ad se accedentes humanissime exciperet, pueros tamen eximio quodam amore complectens, sinite, inquit, parvulos venire ad me. Novissime vero cum redditurus ad Patrem Beato Apostolo Petro, quem Vicarium in Terris suum constituerat, ecclesiam sibi charissimam regendam, & pascentiam committeret, oves quidem, per quas adeli intelliguntur, non amplius quàm semel, agnos vero, quibus pueri designantur, semel, atque iterum commendavit.

Itaque quum B. Joseph Calasancium à Matre Dei, genere, doctrina, virtute præstantem, secum animo reputaret, in optima puerorum institutione spem Republicæ Christianæ certissimam positam esse, & pueros videret, inopes præsertim, atque infimæ sortis, propterea quod idonea, & singulari disciplina carerent, velut agnos sine pastore hæc, illæ errabundas, & vrgos facie ad vitia deflectere, pro eo, quo flagrabat, alienæ salutis studio hanc sibi, despicabilem forte apud homines, apud Deum vero gloriosam provinciam deposcens, ad eosdem, à teneris usque annis literis ac pietate informandos animam applicuit. Et primo quidem sua, atque aliorum ab se conductorum opera usus est ad id muneris, in quo nimirum charitas simul, atque humilitas inquam sibi operam dabant. At processu temporis reputans piam istud opus, defuncto sibi, superstes esse non posse novum in ecclesia Dei regularem ordinem excogitavit, sapienter, & per summam patientiam instituit, cujus labore, atque industria, quod sanctæ ipse, & utiliter inchoasset, in omne deinceps tempus maneret. Quot autem, quantosque labores ex-

hauserit, ut cogitata perficeret, quam constanti animo aspera quaque toleraverit, quam præclara denique virtutum omnium, cunctis quidem fidelibus, sed suis potissimum filiis monumenta reliquerit, dici vix potest.

Quapropter quoniam bonorum operum Auctor idem, & largissimus remunerator Deus, qui *Beatum* hunc Servum suum tot, & tam præclaris virtutibus decoravit, easdem subinde ostendere, & palam facere dignatus fuerit. Nos idcirco virtutum, & miraculorum examine habito perquam diligenti, in consiliis adscitis Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, auditis etiam Patriarchis, & pluribus Archiepiscopis, & Episcopis in Urbe congregatis, ac divino Spiritu humiliter invocato, eundem *B. Josephum* Sanctorum numero adscribimus, atque eo, qui Domesticus Dei decet, in celesti Curia honore, & cultu prosequendum esse statvimus, & declaramus.

Beatus igitur hic *Servus Dei* Petralte Salis Aragoniæ oppidum incelebri, anno à reparata salute MDLVI. Parentibus natus est, antiqua nobilitate clarissimis. Jam inde à teneris annis suavitate morum, lenitate, patientia, precandi studio, cultu Deiparæ singulari, qualis futurus esset haud obscure indicavit. Grandiæscula mox ætate pueros manusculis ad sese alliciens, avocare à virtuti impellere, ad Dei cultum hortari solebat, ut proinde Sancti apud omnes nomen, & famam adeptus, instituendo ab se ordini præludere quodammodo videretur. Humaniorum artium doctrina satis jam exultans ad præstantiores Jurisprudentiæ, ac Theologiæ facultates animum appulit, atque in his quidem nulli secundus; innocentia vero, castimonia, integritate morum supra ceteros eminebat. Quod enim tempus plerique adolescentium ludis, atque otio, religionis ille, ac pietatis officiis impertiebat. Solitudinis studiosus continebat se domi nisi vel ad templum pietas (quod frequens erat) vel necessitudo, studiorumque communio ad æqualem quandoque consuetudinem, & colloquium vocaret. Neque vero in illo aut modestia comitas, aut comitati modestia officiebat. Largissima erat in eo erga inopes, atque egenos misericordia. Ardor animi erga res divinas præsertim cum ad sacra mysteria, uti crebro solebat, accederet, ita ex vultu ipso, atque ore emicabat, ut in admirationem sui oculos inquantum raperet. Pudor autem proprus in eo singularis, ut vel in tenera adhuc ætate, morbo licet argente, nemini unquam, ne Matri quidem corporculi ipsius partem ullam adspicere nudam liceret.

Iterdum non alia utique, quam eximix suæ commendatione virtutis, cunctis cum Magistrorum, tum Condiscipulorum suffragiis univærse studiosæ juventuti præfectus, ac princeps renunciatus, ejusmodi honore, ac munere sic functus est, ut qua voce, qua exemplo (quod quidem suavissimum, idemque efficacissimum monendi genus est) segnes ad studia, dissidentes ad concordiam, improbos ad virtutem adhortaretur. Et quidem industria suæ fructum tulit, quem maxime optarat. Alia enim jam factis exitiis juventutis in scholis, in templis, in noscomiis, ut propterea qui tam præclare meritam de scholis *Josephum* susciperent, eundem veluti delapsam de caelo Angelum venerantur.

Itaque coram eo nemo erat, qui imprudenter dicere aliquid, vel indecore facere auderet. Tam spectatam virtutem, ac præsertim animi castimoniam terribis humani generis hostis ferre non poterat. Itaque ad eam labefactandam usus est imprudenti nobilibus cujusdam femine, quam *Josephus* veterem suæ cum familia illius necessitudinem retinens invisere subinde consueverat. Sed castissimum juvenis blandientis femine illecebras tanta animi exhorrescentis constantia elusit, ac respuit, ut non satis habere, quod è domo illa, tanquam ex infami scopulo sese propulisset; nisi etiam ex Urbe ipsa, uti præstitit, alio demigraret, ut alterius magis, vel famæ, vel pudicitix, quam castimonix suæ periculum declinaret. Post gratias igitur impense actas Deiparæ, eujus tam presentem in eo discrimine opem expertus erat, instaurato etiam virginitatis voto, sta-

tim Complutum profectus est, ubi novum innoxio quantumvis corpori ciliis, inedia, vigiliis bellum indixit.

Peracto denique studiorum curriculo, laurea, donatus, tametsi nodum scris majoribus initiatus ab Episcopo Jaccæ socius laborum adscitus est, non sine magna diocesis utilitate. Jamvero mortuo fratre sine liberis, à parente in spem familiæ destinatus ad nuptias, morbo interveniente periculo, atque accipiti, ab his sese expedit. Quum enim ad mortem decumberet, in eo temporis articulo facile à parente *Josephus* obtinuit, ut si convalesceret, colibem agere vitam liceret. Itaque præter omnem opinionem recuperata valetudine, sacrorum ordinum susceptione, ut primum potuit, totum se Deo mancipavit. Neque vero diu licuit *Joseph* sibi uni vacare. Cognita enim illius pietas, sapientia, integritas fecit, ut à pluribus Episcopis in pastoralis sollicitudinis partem advocaretur. Quibus ille quidem non mediocri laborum fructu operam egregie navavit, præsertim in Urgellensi diocesi, quum commissum sibi peculiaris asperitorem locorum visitationis munus exeret. Multa sibi relata in melius, multa provisiva prudenter, magnis propterea exhaustis laboribus, atque adeo non semel addito vitæ periculo. Barcinonem deinde regia missus auctoritate scissam in factiones duas civitatem, atque in mutuas mox cædes fœdissime ruituram (quod optare magis, quam sperare cives possent) ad concordiam, & pacem consilio, & fuis ad Deum precibus revocavit. Charitatis hoc, & prudentis, illud animi demissionis, fuit, quod, ut paratos sibi honores defugeret, oculis, atque aspectui plaudentium sibi civium sese subducens, Urgellam statim reversus est, à qua tamen majus quoddam humilitati suæ insiare ab Rege periculum suspicatus, ob rem tantam jam periculatam, haud ita multo post proficiscens ætatis suæ anno secundo supra trigesimum Romam, quod divinitus vocabatur, se contulit.

Vitam in Urbe *Josephus* absconditam cogitabat: sed à Cardinali Columna, qui præstantiam illius ab Episcopo Urgellensi cognoverat, in aulam suam adscitus est, ut sibi theologus à studiis, & fratris filio prætere optimæ spei adolescentulo morum magister esset. Verum non is erat *Josephus*, qui aula honoribus caperetur, cum non semel dignitates amplissimas, repudiasset. Illud enim sibi proposuerat jampudum, ut Deo maxime, & proximorum salutis inserirerit, itaque, ut ampla laborum, & meritum, seges suppetere, quinque se celeberrimis Romæ sodalitatibus adscribi voluit, earumque sanctissimas leges sublevandis pauperibus, invidendis ægris, erudiendis agrestibus, ac plebeis, tam sedulo, ac naviter observabat, ut incenso suo studio ceteros omnes ad eadem charitatis officia inflammaret. Grassante per Urbem lue, hic enim vero, si unquam antea, quid christiana charitas possit, maxime ostendit. Nullum enim ab eo erga ægros, & pauperes officium defuit. Quæ quidem in re misericordiæ, atque humilitatis assidua erat exercitatio. Talis namque ac tantus vir, onustum cibariis, ac pharmaci assellum per vias agere, & cum Sancto Camillo de Lellis, cui se socium addiderat, ad egentium, atque ægrotantium domos deferre nequaquam erubescere. Neque vero cum juvenis proximis tantum temporis impertiret, spatium illi deerat ad ea, quæ culus Dei sunt, obeunda. Etenim ut præter cætera, quæ sibi proposuerat, Religionis officia, septem Urbis ecclesias, quod à multis jam annis solemnè habebat, iniseret, è nocturna quiete partem sibi maximam detrahebat.

Sed majus profecto aliquid, quod non ad Urbem modo, sed ad christianam rempublicam pertineret, *Josephus* aggressus est. Quum enim vit æternæ proximorum salutis maxime studiosus videret pueros, præsertim infimæ sortis, in necessaria instructione carere, quæ ex re cum insecta passim vitia inolescunt; primo quidem sumptu suo magistris quæsiit, qui pueros, præente ipso, ac pauperimos sibi deposcente, primis literarum, ac christianæ doctrinæ elementis imbuerent.

Sed

Sed quum id ad tempus dumtaxat, & paucis profuturum intelligeret, novum quoddam Institutum mediatus est, cuius opera assidua illa charitatis in edocendis adolescentibus exercitatio perpetua maneret: quod quidem Institutum, cum peculiarem potissimum profecturam curam circa puorum eruditionem, adeo ab omnibus commendari, & expectari cepit, ut ipse *Josephus*, ad hac vivens, in septem provinciis late per orbem diffusus, benedicente Domino, propagatum conspexerit.

Sed quæ multis, quamque acerbas ob eam rem à domesticis ipsis, nedum ab aliis injurias, calumniasque pertulerit, haud facile dictu est. Illud sibi instar omnium, quod felicis recordationis *Benedictus XIV.* prædecessor noster, ut perhibent, aspera quæque, atque indigna, quæ servo Dei ad extremam usque ætatem subeunda fuerunt, animo reputans; *Josephum* *Jobum alterum* appellare non dubitavit. Huiusmodi autem incredibilis patientia, atque animi æquitas, tunc maxime enituit, cum ex infanda calumniatoris nequissimi delatione comprehensus, ac tota spectante Urbe, satellitum manu stipatus, ad carceres perductus fuit, ut hominibus quidem ludibrio, Angelis vero admirationi esset, & gaudio. Etenim mitissimus, atque humillimo viro, qui statim contemptus innocens, ut impacta calumnie labe abstergeretur, summo cum honore cunctis plaudentibus domum reductus est, expetendum id magis visum fuit, quam dolendum. Illud utique dolendum maxime, atque acerbum accidit, quod vineam ab se tanto labore, ac studio plantatam, quæque palmites suos longe lateque extenderat, dissipatam jam, atque à singulari *Revero* pene exterminatam conspexit.

Attamen in his etiam ætatem asperitatis ne vestigium quidem de gradu constantie dejectus, ostendit, quam vero scripum sit. Iustum non contristari quidquid accidit. Contumeliis enim, & conviciis læcensius impudentissimis, ita se gerebat, ut is delectari videretur. Obtractatoribus suis, quos coercere facile potuisset, non aliam repondit vicem, quam quæ à Christo præscripta est, ut bene scilicet precaretur iis; à quibus injuriarum acceperat. Sed & Deus ipse tam admirabili patientiæ celestem aliquam vel in terris mercedem repondit. Deiparam enim cum puero Jesu viderere meruit sibi, & commissis suæ disciplinae adolescentulis benedicentem. Illius modo vultus inter orandum, modo corpus totum, dum sacris operatur, conlesti lumine circumfusum, atque è terra sublime conspectum est. Illum in cubiculo præces fundentem *Beatisima* Virgo aspectu, alioquoque suo recreavit. Domino prætere profectu non caruit, qua vel futura prædiceret, vel arcana cordium penetraret. Absentibus invocatus præsto erat. Filiis suis pariter longo licet intervallo disjunctis aderat, ut vel monet, si quid forte deliquissent, vel parantibus ad eum scribere in ipso articulo temporis responderet. Ejus item contactus ægrotantibus salutaris erat, presentia demonibus formidolos.

Sed jam supra diem adierat, qua *Josephus* ejusdem præstans, post labores tam multos, post tam longas ærumnas sempiterna quiete, ac beatitudine potiretur. Itaque correptus morbo, quem Medici levem, & ultimum ipse affirmabat, christianarum virtutum, earumque maxime, quæ id tempus proseret, in occursum Domini parere se impense sudebat. Morbi autem vim non patientia modo ipsis, atque animi æquitas, sed etiam Beatissimæ Virginis, aliorumque celorum visionis suavissimæ leniebant. Inter eas porro illa utique jucundissima, qua eadem Dei Mater sese illi conspuendam dedit, complurium, qui religiose illius disciplinae alumni fuerant, numero comitata. Alia prætere visione Servum suum Deiparam cum Sanctissimo Filio suo recreavit, pollicita, insuper fore ut ordo ab ipso institutus, de quo sollicitus erat, ne forte interiret, protègente se refloresceret. Quod quidem, cum ad erigendos in spem suos magnopere pertineret, existimavit, se salva modestia posse id eisdem palam facere, atque adeo debere. Sanctissimo deinde corpori Christi viatico roboratus quatuor è suis alumni in Vaticanum mit-

FERRAR. BIBLIOT. TOM. VIII.

tendos duxit: duos quidem, qui Sancti Apostolorum Principis æneam Statuam venerati, pium illius pedibus osculum darent, ceu testem Catholicæ Romanæ Fidei, in qua emori, uti vixerat, *Josephus* optabat: alios vero duos, qui à Summo Pontifice Christi Vicario plenam culpæ omnis, ac penæ remissionem; ipsius nomine peterent, atque impetrarent. Sacra demum Uncione munitus, lachrymas inter, ac preces suorum, sublati ad coelum oculis, & pendentis è cruce Christi imaginem osculatus, post invocationem suavisissimi Jesu nominis ter iteratam; sui compos, & sensibus valens, pacatissimum Conditori suo spiritum reddidit, octavo Kalendas Septembris anni Domini MDCXXVIII. Illud autem sane admirabile, quod è tam cari parentis obitu non moros, ut assolet, sed iausitata quædam lætitia filiorum ipsius animos repente occupavit, manantibus jam præ gaudio lachrymis, quas antea dolores expresserat. Defuncti corpus majestatem quandam præferens rapiebatur, suavenique, ac colestem utique odorem effabat. Jam vero virginalis illius eximii pudoris etiam alia nulla, dum inter mortales agebat, indicia extarent, illud unum satis abunde foret, quod mortuus edidit plane admirandum. Quum enim cadaver, detracto, ut ablu posset, indusio, nudatum esset, manus illius dextera, nullo alterius impulsu, statim partes eas cooperuit, sed reverendia conspiceretur: atque ut evidentius adhuc tam singulare votoris studium appareret, dimota per eos, qui aderant, mortui dextera, sinistra pariter nemine impellente ad partes eas obtegendas dextera vicem supplevit.

Jamvero cum *Servus Dei* corpus ad sacram adem Sancti Pantaleonis afferretur, quadriennis puer: en Sanctus, inclamavit ore lactenti, en Sanctus, adventu Magni deinde concursus totius ferme Urbis, ad funus illius celebrandum, præsertim post miracula, quæ complura statim patri per invocationem *Servus Dei* cepta sunt. Quæ cum ad aures felicis recordationis *Innocentii* Pape X. prædecessoris nostri pervenissent, tum ipsius, tum Cardinalis in Urbe, ejusque districti Vicarii, nomine Religiosis ipsis filiis, qui spectatores, ac testes extiterant, demandata cura est, ut ea fideliter, atque accurate præscriberentur, ad eorum deinde, quorum interest, examen debitum revocanda. Quam à tunc novis in dies miraculis *Servus Dei* sanctitas corroborat, ejusque fama, increbresceret, Cardinalis primum in Urbe Vicarii, apostolica deinde auctoritate ceptum est agi de Virtutum illius excellentia. Quæ quidem cum in Congregatione S. Rom. Eccles. Cardinalium Sacris Ritibus præposita, communi Patrum judicio ad heroicum gradum pertigisse constaret, sanctæ memoriæ *Benedictus XIII.* prædecessor noster eorumdem judicium decreto suo confirmavit die octava Septembris MDCXXVIII. In miracula deinde auctoritate apostolica per tres Episcopos inquisitum, & usque rite in acta relatis, ac duobus ex illis Patrum suffragio dignis probatu comperitis, ejusdem memoriæ *Benedictus XIV.* Noster item prædecessor, consulto multis precibus Deo, Patrum judicium, accepta divinitus auctoritate ratum habuit, atque approbavit die Maji decima anni MDCCLVIII.

Ac primum quidem miraculum patratum est in Margarita Tanteri Virgine Florentina, quæ decenni aneurismata in ultimum vitæ discrimen adducta, post implopratam *Joseph* opem, puncto temporis integram valetudinem recuperavit. Miraculum alterum conspēctum est in Christina Ceccherina Virgine ex eadem eidem civitate Moniali, inter eas, quæ *Cappuccine* vocantur. Hæc enim per septennium variis simul morbis implicita, ut immobilis jam citra spem ullam decumberet, opulante *Joseph*, perfecte atque integre, divinitus repente convalevit. Quum igitur de *Joseph* virtutum heroica excellentia, & perspicua miraculorum nota satis abunde constaret, laudatus *Benedictus XIV.* nihil amplius cunctandum ratus, die 7. Augusti anni ejusdem MDCCLVIII. datis Apostolicis literis, *Josephum* Beatorum fastis adscripsit.

N Sed

Sed novis subinde celestibus signis, *Servi sui* sanctitatem Deo declarante, ut reliqui summi honores *Josepho* decerni possent, auctoritate apostolica de recentioribus, quae ferebantur per eundem patrata miracula, quæstio de morte instituta est, qua feliciter expleta, duo potissimum præ ceteris Patrum Sacrorum Rituum Congregationi præpositorum calculo probata digna sunt habita, & Nos ipsi probavimus die 25. Maji MDCCCLXVI. Ac primum quidem editum est in Maria Constantia Caminati Genuesi Virgine, & Moniali in monasterio Ordinis Sanctæ Clare extra mœnia civitatis Tuderii. Phthisis illa jamdudum paterna in domo contraxerat, quam aliquandiu dissimulatam celare amplius non potuit. Per undecim ipsos annos, assidua febris, deteriora in diem symptomata tertium morbi illius gradum clare indicantia, scirrhus in jecore duro extrinsecus, & late fuso tumore se pendens, aliaque exinde subsanctia morborum genera eò jam agrum adduxerant, ut pelle dumtaxat, atque ossibus, nulla præterea corporis parte constare videretur. Itaque non semel extremo sacramentorum subsidio munita, nihil jam aliud opperiri poterat, quam ut e consumpto corpore anima demigraret. Sed desperatam humanius valetudinem pia Monialis per *Beatam Josephum* divinitus est consecuta. Quum enim brevi, quam morbus in lectulo sineret, novendiali prece illius se patrocinio commendasset, die ipsa, quæ nona, & postrema erat instituta precationis, placide consopita, & somno (quod nunquam antea contigerat) diu producto, morbi vim omnem discussam sensit. Eòdem tempore color vulvii, vires corpori reddidit, quodque magis utique mirandum fuit, caro non modo restituta, sed ea visa est addita, quæ fortasse nunquam extiterat. Neque vèro integra tantum fuit valetudo, sed etiam perpetua. *Amor* *sanctissimus* *beatæ virginis* *Josephæ*.

Altera superans naturam vim sanatio contigit Vincentiæ Buada Valentini. Hæc enim tres vel quatuor annos nata, ex gravi lapsu, (dum per ludum ab imprudenti quopiam jaçtatur in aera, & excipitur) laxatis aliquot spinalis medullæ vertebri, gravibus primum morbis, perfecta dein comprehensa fuit paralyssi, ita quidem ut curam ob interclusos succi vitalis meatus, arida jam, ac pene lignea motum, & sensum omnem amisissent. Conversa igitur puella ad caelestem opem quamdoquidem in humanis remediis nulla jam reliqua spes erat, novendiali obsequio *Beati Josephi* auxilium implorat. Eo prædicto, nondum tamen compos voti facta erat: sed patre admonente, brevi adhuc fusa prece, ea ipsa die, momento temporis motum, sensum, & quod mirandum est magis, carnem recuperavit.

Post hæc ejusdem Congregationis generalis die 23. mensis Septembris anni proximi elapsi coram nobis habita: consilium audivimus, an juxta consultissimas leges à Prædecessoribus nostris ipsi Congregationi præscriptas, tuto ad *Beati Josephi* canonizationem procedi posset, & quamvis in ea suffragium ferentes unanimi consensu id affirmaverint, nihilominus, ut accuratius causam perpendere, precibusque cum nostris, tum aliorum in re tanti momenti divinum promereretur auxilium, nonnisi die 12. subsequentis mensis Octobris decretum, quo ad solemnem *Beati Josephi* canonizationem, servatis servandis, quancumque procedi posset, edi jussimus.

Interim vero charissimus in Christo Filius noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus, ut hoc decretum ad effectum perduceretur, se summopere optare Nobis significavit, ac dilecti filii Ordinis Clericorum Regularium scholarum patrum Superiores proprio, & cunctorum illius professorum nomine assiduas nobis preces porrigebant humilissimas, ut eum, à quo divini munis afflatus leges exemplo suo confirmatas acceperat, supremo tandem cultu decoratum conspicerent, & venerarentur.

Ut itaque quod supererat, ad sacrorum canonum normam, & juxta venerabilia eorumdem Prædecessorum nostrorum instituta perficeremus, universi primum collegii Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium con-

silium exquisivimus in Consistorio secreto die 27. Aprilis proxime præteriti habito, in quo Nos ipsi summam virtutum, & miraculorum *Beati Josephi* necnon seriem eorum omnium, quæ in ejus causa gesta fuerant, ipsis exposuimus, cunctisque adsentientibus, ut ad supremam gravissimo hæc negotio manum imponendam, progrediremur, quamplures Venerabiles Fratres Archiepiscopos, & Episcopos ex universa ferme Italia in Urbem accivimus, eos quoque antequam definitivam sententiam ferremus, in consilium adhibuimus.

Hi omnes causam totam perdidicerunt, tum ex peroratione in Consistorio publico die 7. mensis Maji proxime præteriti coram Nobis habita à dilecto filio Alexandro Tozzi nostræ Consistorialis aule Advocato, tum ex plena, accurataque relatione gestorum, & virtutum *Beati Josephi*, cum miraculis à Tabulario sæpe dictæ Congregationis Sacrorum Rituum desumpta, quæ typis impressa singulis tradita fuit. *Amor* *sanctissimus* *beatæ virginis* *Josephæ*.

Hi omnes causam totam perdidicerunt, tum ex peroratione in Consistorio publico die 7. mensis Maji proxime præteriti coram Nobis habita à dilecto filio Alexandro Tozzi nostræ Consistorialis aule Advocato, tum ex plena, accurataque relatione gestorum, & virtutum *Beati Josephi*, cum miraculis à Tabulario sæpe dictæ Congregationis Sacrorum Rituum desumpta, quæ typis impressa singulis tradita fuit. *Amor* *sanctissimus* *beatæ virginis* *Josephæ*.

Hi omnes causam totam perdidicerunt, tum ex peroratione in Consistorio publico die 7. mensis Maji proxime præteriti coram Nobis habita à dilecto filio Alexandro Tozzi nostræ Consistorialis aule Advocato, tum ex plena, accurataque relatione gestorum, & virtutum *Beati Josephi*, cum miraculis à Tabulario sæpe dictæ Congregationis Sacrorum Rituum desumpta, quæ typis impressa singulis tradita fuit. *Amor* *sanctissimus* *beatæ virginis* *Josephæ*.

dicti XIV. Prædecessoris præfati literas, ipsius *Sancti Josephi Calarantii* memoriam sexto Kalendas Septembris, qua nimirum de illius Corpus tumulo demandatum fuit, in universa ecclesia quotannis recolendam, ac ritu debito celebrandam. Ac omnibus Christifidelibus, qui in ecclesia Sancti Pantaleonis de Urbe nostra, ubi *Sancti Josephi* mortales exuvie coluntur, eadem designata die religiose accedent ac Deum Optimum Maximum juxta nostram, & Pæ Matris Ecclesie mentem præcati fuerint, Indulgentiam septem annorum, & totidem quadragenarum perpetuo in forma ecclesie consueta concessimus.

Mox decantato pro debita gratiarum actione laudis, & confessionis hymno, ad aram basilicæ maximam supra sacratissimam Principis Apostolorum, confessionem incrementum salutis humani generis hostiam oblaturi reverenter accessimus, & facta eorumdem Sacrorum specialis commemoratione post evangelicam lectionem à Sanctibus latina, & græca lingua decantatam, justa, & sancta exultatione spiritus sensimus, Nos impelli, ut Venerabilem Sacerdotum coronam, & populum universum, quem religionis studium, atque Apostolicæ Sedis reverentia non ex Urbe modo, sed ex longinquis etiam regionibus attraxerat, ad eorumdem Sacrorum virtutes imitandas, & patrocinium promerendum, paterno affectu breviter adhortari, & accedere conarerim. Denique inexhausti ecclesie thesauri divitias in eos qui adstantes fideles veluti effluentes, Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

In hac autem tum nostra, tum populi totius fidelis justissima exultatione nostræ huic Urbi dilectissimæ alia profecto quædam peculiaris est causa, cur non modo *S. Josepho*, sed etiam sibi magnopere gratularetur. Solutum est enim non parvi utique faciendum, quod venerabile *Josephi* corpus apud Nos extat, quasi amoris erga Nos sui perenne pignus, & monumentum. Nam etsi ubique terrarum coelites clientibus suis opem impertiant, ibi tamen & uberius id, & frequentius prætare solent, ubi corpore, hoc est, aliqua sui parte adhuc resident. Ad *Josephi* ergo tumulum in angustiis, in periculis, in rebus dubiis quisque accedat, per hæc præsertim tam plena arumnis, & calamitatibus tempora, nec dubitet, quin cum ex iis, quæ passus est, tam multa, tam aspera, patientiam didicit in terris agens, regnante modo gloriosum in supernis ædibus pium erga se, & propitium experiatur.

Quonium vero post prolata à Nobis canonizationis sententiam, ab eodem Cardinale Procuratore Nobis humiliter supplicatum fuit, ut super præmissis omnibus apostolicas literas perpetuo valituras decernere, & edere dignaremur; ideo Nos justissimæ annuentes petitioni, præsentium tenore omnia, & singula præmissa confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, atque universæ catholicæ ecclesie denuntiamus. Mandantes, ut earumdem præsentium exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostre definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incutsum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini 1767. decimo septimo Kalendas Augusti Pontificatus nostri anno decimo.

Ego Clemens Catholica Ecclesie Episcopus.

Ego C. A. Episcopus Ostien. & Vellitern. Card. Cavalchini, Sacri collegii Decanus.

Ego F. M. Episcopus Portuen. & S. Rufinæ Card. Lanes.

FERRAR. BIBLIOT. TOM. VIII.

Ego J. F. Episcopus Sabinen. Cardin. Albani.
Ego H. Episcopus Tusculan. Cardin. Dux Eboracensis S. R. E. Vicecancellarius.
Ego F. Episcopus Albanens. Cardinalis Serbellonus.
Ego J. F. Episcopus Prænestin. Cardin. Stuppanius.

Ego C. Tit. S. Clementis Presbyter Card. Rezzonico S. R. E. Camerarius.

Ego F. M. Tit. S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Rubeis.

Ego J. M. Tit. S. Alexii Presbyter Cardin. Castell.
Ego C. Tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Elephantinus.
Ego P. H. Tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Presbyter Cardin. Guglielmi
Ego P. P. S. Stephani in Monte Cælio Presbyter Cardin. de Comitibus.

Ego Fr. L. Basilicæ Sacrorum XII. Apostolorum Presbyter Cardin. Ganganelli.
Ego M. A. Tit. Sanctæ Mariæ de Pace Presbyter Cardin. Columna.

Ego S. Tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardin. Buonaccorsi.

Ego J. C. Tit. SS. Joannis, & Pauli Presbyter Card. Boschi Major Penitentiarius.
Ego L. Tit. S. Anastasie Presbyter Cardinal. Callinus.

Ego A. Tit. Sanctæ Mariæ in Via Presbyter Cardin. Columna Branciforti.

Ego P. Tit. S. Mariæ Transtiberim Presbyter Card. Pamphilus.

Ego Ph. M. Tit. S. Chrysogoni Presbyter Cardin. Pirellius.

Ego A. Sanctæ Mariæ in Via-Lata Prior Diaconorum Cardinalis Albanus.

Ego N. S. Eustachii Diaconus Card. Corsinius.

Ego D. Sanctæ Mariæ ad Martyres Diaconus Card. Ursinus.

Ego Fl. Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardin. Chisius.

Ego A. M. S. Agathæ ad Suburam Diacon. Cardin. Totrigian.

Ego J. C. S. Cæsarei Diacon. Cardinal. Caracciolus de S. Bono.

Ego N. Sancti Georgii in Velabro Diacon. Cardin. Perrelli.

Ego A. S. Angeli in Foro Piscium Diacon. Cardin. Corsin.

Ego A. SS. Viti, & Modesti Diacon. Cardin. Nigronus.

Ego Ae. S. Sancti Adriani Diacon. Cardin. Piccolomineus.

Ego X. Sanctæ Mariæ de Scala Diacon. Card. Canale.

Ego B. SS. Cosmæ, & Damiani Diacon. Cardinal. Veterani.

C. Cardin. Pro-Datarius. = A. Cardin. Nigronus. = Visa de Curia J. Manassei. = Loco † Plumbi. = L. Eugenius. = Registrata in Secretaria Brevium.